

tur , five jure , five injuria , homo sapiens pro-
bri loco habebit . Scit etenim ex Aristotele , apud
Laertium lib. 6. , *quod nemo gloriatur , quod ma-
gnæ urtis civis sit , sed quod sit dignus magna &
illustri patria* . Quis non illustrius putabit decus ,
honorem Patriæ conferre , quam a Patria men-
dicare ? Et quis turpius non habebit dedecus ,
quod Patriæ infertur , quam quod a Patria sus-
cipitur ? Ita porro Cleobulus , unus ex septem
Græciæ Sapientibus , apud Laertium lib. 1. , di-
cebat : *Quibusdam est Patria dedecori , quidam
sunt Patriæ dedecori* . Et nonne etiam Christus
Dominus a Patria dedecus sustinuit , quando
Judæi , ipsum conviciantes , obloquebantur :
Quid boni a Nazareth ? Non ergo mirum , si
aliarum gentium homines contra Brutios scri-
pitant ; contra omnium gentium homines ho-
mines effutiant . Attamen quod scribunt Scioli
attendunt , Sapientes vero Viri quod vere &
bene scribunt .

Hoc proinde onus civibus cunctis superest ,
ut non solum sua virtute Patriam honestent ,
sed etiam labore suo vindicent , & defendant .
Parum esset lucem eidem superaddere , si & te-
nebras , quibus aliquando obtegitur , non de-
pellerent . Nec satis propriæ gentis decori pro-
spicerent , si communem famam ab aliarum
gentium aut linguis , aut calamis , fœdari , im-
pune,